

PRAEFATIO

A nno fere 1423 Iohannes Aurispa¹⁾ cum aliis nobilissimos libros Constantinopoli emit tum Aeschyli Sophoclis Apollonii codicem qui varios etiam in Italia casus perpessus post medium saeculum XVI in bibliothecam Laurentianam pervenit, ubi plutei XXXII nonus signatur, auditque vulgo in Aeschylo quidem Mediceus, in Sophocle Laurentianus: tanta est grammaticorum inconstantia. ignoramus Graeciae bibliothecam ab Aurispa expilatam, in qua Mediceus diu delituerat: neque enim ullum extare videtur eius apographum factum antequam in Italiam perveniret; tum vero saepius inde descriptae sunt eae tragoediae, quarum alia exempla deficiebant. quae apographa, cum origo eorum manifesta sit deficientibus versibus quos Mediceus foliis quibusdam evulsis perdiderat, iure negleguntur²⁾. extat autem id ipsum, e quo Fr. Asulanus, cum Aeschylum princeps ederet (apud Aldum 1518), tragoedias quae videbantur tres, Agamemnonem cum Choephoris conflatam, Eumenides, Suplices typis descripsit; nam Promethei Septem ducum Persarum exemplaria tam multa suppeterant, ut describendi labore supersederi posset, exemplum autem in typographi officina periret. apographum igitur illud nunc Guelferbytanum est, olim cum ab aliis tum ab Hermanno diligentius versatum quam merebatur. vile enim est triadis illius Byzantinae (quo nomine tres primas fabulas comprehendere consuevi) exemplum, auctum apographo alterius illius quae videbatur triadis e Mediceo descriptae. hodie totum Guelferbytanum contemnimus in Aeschylo: contemnetur etiam in Apollonio, cum tandem aliquando huius quoque poetae libri examinati erunt.

Mediceo ipso, qui tum Patavii videtur fuisse, usus est Fr. Robortelli primum (1552) in scholiorum deinde in ipsarum tragoediarum

¹⁾ Epistularum has res testantium excerpta commodissime leguntur in E. Rostagni praefatione photographicae Aeschyli Laurentiani editioni praefixa.

²⁾ Enumerat eos libros M. Hauptius in Aeschyli Hermanniani praefatione p. 6—8. extant fortasse plures, sed hoc mea quidem nihil refert.